

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0829
	0827
	0833
256	0823
Sed quia tantam multitudinem nec mare solum, nec terra sola capere poterat, diviserunt multitudinem in agmina, et agmina in legiones, et legiones in exercitus, et exercitus in turmas et singulis praeposuerunt cum capitaneis centuriones et decuriones, et ita sparsim contra mare ad diversas portus procedehant, pluri- mum pedites et equites per Ungariam in Dalmatiam et Grae- ciam intrabant. Aliqui autem Euxinum Pontum et palum Maeotum cernentes per Colchidem regionem in Capadociam ascenderunt, sique longissima itinera quaerere multitudo compellebatur.	0838 0818 0878 0778 0928
Quanta autem pericula populo Dei acciderint ex defectu necessariorum, ex intemperantia, ex discordiis inter se exortis, ex peste, ex occurso hostium, non facile narrari potest. Si cui tamen placet de his legere, videat in Vincentio Bellova- censi in Speculo Histor. Lib. 26. Cap. 92., et in Chron. Ant. tit. 16. part. II. c. 13., et in Fortalitio fidei de 97. bello Christianorum cum Sarracenis, et in Chron. Martin. de Heinrico 3. et in Nic. de Lyra super Apoc. Cap. 16 et sequentibus.	0728 0328
Tolerabile autem fuisset, si quod passi fuissent Christiani ab inimicis et ab infidelibus, sed mala, quae sibi ipsis infe- rebant, et impedimenta Ungarorum et Graecorum, et strages, quas in bellatores faciebant, dura nimis et intolerabilia erant. Nam, ut de multis unum referam, erat quidam sacerdos theu- tonicus, nomine Gondecalcus, vir fortis et audax, magis ad proeliandum quam ad celebrandum dispositus: hic ex Ale- mannia de plebe collegit exercitum quindecim millium arma- torum, qui, cum in Ungariam venissent, et quasdam villas propter suas necessitates rebus spoliassent, consurrexit contra eos rex Hungariae et immanissimam stragem in eos exercuit, non distinguens inter innocentes et noxios, et ita exercitum illum contrivit, quod non unus homo intravit ad propositum certamen, pauci autem, qui gladium Ungarorum evaserunt, cum dolore in Alemanniam reversi sunt. Quantas injurias impe- rator constantinopolitanus populo Dei intulerit, longa narratione vix posset exprimi. Contigit Christianis in hac expeditione sicut Romanis olim in expeditione Carthaginensi, qui maximo collecto exercitu in Africam profecti sunt contra Carthaginem	Ende Anfang